

IV. *Eiusdem Viri Clarissimi ad eundem Epistola post-huma. De Generatione Animalium, & de Palpitatione Diaphragmatis.*

*Delpbis in Batavis.*

INTER alia ex tuis proximis literis, septiino Kalendas *Julii* datis, intellexi, Sententiam meam de generatione tibi videri firmissimam omnium, hactenus in lucem editarum ; & quod mihi non incognitum erat, quosdam Anatomicos supra mea fundamenta novum struere Systema ausos esse, affirmantes ovum esse proprium nidum, in quo animalculum feminis masculini hospitatur & quod idem ovum ex eo imprægnatum, postea per tubam *Fallopianam* deducitur ab ovario ad uterum.

Multos expectavi contradicentes, & doctissimus quidam dominus dicebat, postquam meum Systema de generatione legisset, recte putas, sed vita tua convincendis omnibus non sufficiet ; alius dicebat, me mendacia de animalculis memoriæ prodere.

Paulo ante obitum Domini *Leibnitz*, scribebat ille Dominus mihi *Hannonia*, se meam sententiam de generatione amplexisse, seque in libro quodam, a se edito, idem demonstrasse, sed quendam dominum in *Italia* esse, qui contra meum Systema de generatione aliquid esset editurus ; atque in *Germania* dominum esse, qui cum illo communicaverat totum ovarium in tuba *Fallopiana* repertum esse ; Professoresque in *Germania* inveniri, qui animalcula feminis masculini esse negabant. Verum enimvero, quamvis contradictiones quamplurimas



passus sim, & adhuc patiar, permanebo in Systemate meo, quoniam animalcula in omnigenis seminibus inveni, si saltem animalia rite tractare possem, ne exceptis quidem variis avium ac piscium speciebus.

Porro comperimus in omnibus arborum & plantarum seminibus, etiamsi parvissimis, si modo tractari possint, plantam esse formatam, quam plantam antea comparavi cum animalculis seminis masculini. Et farinosa materia in seminibus plantarum plantis nutrimento esse debet tamdiu, quam planta suos ejecerit radices, & ex terra ali possit.

Doctissime Vir, concede mihi libertatem dicendi, me percipere non posse, quomodo positiones adeo vanas statuere, easque in lucem edere audeant, quod animalcula seminis masculini in utero vel tuba *Fallopiana* effusi, postea per tubam *Fallopianam* deducerentur ab ovario ad uterus. Hæ positiones sunt adeo omni fundamento carentes, ut ulteriori contradictione indignæ sint.

Ulterius dicas, eruditissime Vir, meam pristinæ sanitati restitutionem tibi gratam fuisse, pro qua benignitate erga me gratias ago maximas, & tibi dicere cogor, me multis ab hinc annis pro certo habuisse, quod diaphragma instrumentum sit adeo magnum, ut totum abdomen continue moveat, quo motu cibi in ventriculo & intestinis adeo conteruntur, ut in materiam tamen fluidam redigantur, quæ apta est, ut intret parvula illa vascula sanguinea, quæ multa in intestinorum cavitatibus sita sunt: non autem per oscula illorum vasorum, ut quidam hominibus persuadere conati sunt, sed me judice per tenues tunicas illorum parvissimorum vasorum sanguineorum.

Si jam ponamus arteriam in corpore bene constituto, intra horæ unius spatium ter millies & sexcenties pulsare, quatuorque pulsus fieri in una respiratione, computabimus nongentas respirationes spatio unius ho-

ræ, ac toties fiet pressio ventriculi & intestinorum, quam voco subactionem in ventriculo & intestinis contentorum.

Sit mihi quoque venia tibi, doctissime Vir, dicendi, quod duos abhinc menses varias lentes palpitationes per diaphragma senserim: quare cogitabam de tuba quadam vitrea, à me inventa, ad spiritum cuiusdam liquoris in pectus ducendum, ut experimentum facerem, num insolutus ille diaphragmatis motus, quem cordis palpitationem vocant, sedari posset.

Implevi ergo meam tubam ad altitudinem trium transversorum digitorum spiritu vini, in quo jam diu hæc aromata fuerant infusa, nempe nuces moschatæ, maceæ, & parum garyophilloruin, sed cinnamomi multum, ut & croci, & inspiravi aërem transeuntem per hunc spiritum vini, & quidem non modestè, sed fortiter aërem in pulmonem impuli, quo diaphragma, quod fortis membrana est, valde extendebam, experiendi gratia, nun palpitationem, vel inordinatum diaphragmatis motum, hoc facto componere possem, quod illo tempore bene successit: Sed postea quidem evenit, ut experimentum hoc, quamvis aërem tam fortiter in pectus inducerem, ut pressus aër cum tussi ex guttere erumperet, expectationem meam eluferit.

Sententia tua mihi longe visu erat gratissima, nempe quod diaphragmatis palpitatione validiori niteretur fundamento, quam illa cordis.

■